

ἐν τῷ ὀνόματι
 τῷ θεῷ ἀεὶ πιστῶς ὑπερασπιστῶς,
 ἀνάγνωσι, γυνῶσι, καὶ σύγγνωσι.



Nter Gloriosissimi Imperatoris Ca-
 roli V. praeclare dicta retulit Iovius: solitum
 Imperatorem lustratarum occupatarumve abs se
 urbium felicitatem ex tribus P^raeestimare, si Pa-
 stor, Praeceptor, Praetor recte atq; ordine se haberet. Ad
 iudicii exquisitioris quippe dioptram sibi revocavit Rex sapientis-
 simus, fontem & radicem omni καλοῦ ἀγαθοπραγίας, probi-
 tatis & beatitatis esse, felicem nancisci institutionem: perpendit
 secum Rempublicam ex educatione sanguinem & spiritum capere,
 ex hac servari juxta atq; augeri. Quid sodes Respublicae, quid
 civitates sine scholis? quid Regna, sine literario hoc regno? &
 nisi sint, qui ad virtutum exempla geniti, tanquam surculi suc-
 crescant, in arborum concidentium locum, aliquando depangen-
 di? Verum ut speculum, sic ingenium est, & ut argilla, ita ju-
 ventus, quam capit imaginem, reddit. Atq; hinc complicatam a-
 nimi sui notionem evolvens, censuit cum Plutarcho, ut, quem-
 admodum membra infantis statim ab ipsis natalibus finguntur, quò
 recta adolescent, non distorta: ita etiam jam inde ab initio indo-
 les ejus formetur: quumq; Scientia diadema sit puero, &
 intellectus torques aureus; via verò ad veram eruditio-
 nem ardua sit & scopulosa: adeoq; ingeniorum tam distorta saepe
 & monstrosa facies, ut sexta arumna Herculis nequicquam ad
 illam sit comparanda, iuventutem, ὡς ἐ τῷ θεῷ ἀπαλα-
 λᾶται, statuit augustissimus Heros non ἀδοκίμοις vel παρασῆμοις,
 h. e. hominibus non probatis & obscuris, quibusq; excellens illa &
 pulchra res Eruditio, ne de facie quidem sit nota; sed qui sint
 ἐμπεριεῖς ἀγιστοί, h. e. singulari peritiâ praediti, quibusq; satis
 fides insit & eruditionis, tradendam, publicaeq; institutioni esse
 committendam: Magistratusq; esse officium, omnes consiliorum
 vires huc referre, ut sanctitas & firmitudo Scholarum sit inde-
 mnis, ut honor educationis publicae conservetur, ut publicorum Do-
 ctorum autoritas salva maneat atq; integra.

E. Lutherus Tom. 2.
 P. 455. seqq.

Prov. Salomonis.
 Prov. Arabic. Erpe-
 nij Centur. 2. pag.
 71.

Plutarch. de Educat.
 ingenuorum Puero-
 rum part. 2. c. 2.
 Junius in Polit. Qua-
 stion. part. 2. p. 59.
 Camer. Hor. succif.
 part. 3. c. 51. pag.
 281.

